

Jungat opus, cœlumque tubo scrutetur, & imas
 Ipse sibi fibras per carmina concitet igne
 Fatidico! Vatum vulgo celata per axem
 Unus is ætherium, Diva monstrante, Deoque,
 Prospicere, & totum vulgare arcana per orbem
 Arguto poterit cantu, plectroque sonanti.

Testis ego: incensum solito mihi fervet ab igne
 Jam pectus, fibræque tremunt; mens acta furore
 Abripitur sacro, & gestit depromere quidquid,
 Dum lustro nuper cœlum, ac stellantis olympi
 Contemplor multa flamas iam nocte per umbram,
 Vidi oculis vates non aspicienda profanis.

Huc acies, huc flecte aures, animumque canenti
 Adverte, o juvenum decus, o lætissima gentis
 Coraridum soboles, magni laus magna Parentis,
 Quem, celsa Adriacis qua se attollit ab undis
 Urbs, terraque potens late Regina, marique
 Ostentat populis, tantoque superbit alumno.
 Te tangunt, quæ visa mihi; tibi læta canuntur
 Omina, sidereus tua fata recludit olympus.

Nec vero ignotum vates in carmina posco
 Ignotus: vix dum pleno Sol igneus orbe
 Traduxit rutilum per signa nitentia currum,
 Ex quo quæ tumidus dominam præterfluit urbem
 Ister, & Austriacæ regali fronte superbit
 Aula Deæ, procul a dulci distractus uterque
 Ausonia, fuimus simul, adfarique volentem
 Sæpe mihi, & natam mirari ad grandia mentem
 Contigit, ac plenum doctrina pectus, & almæ
 Præceptis Sophiæ, & placidos super omnia mores,
 Atque animum omnigenæ captum virtutis amore.
 Ipse aderat magni quondam pars magna Senatus,
 Qui Patriam longum, ac populos, & subdita regna
 Consiliisque domi (1) genitor, curaque perenni